

rant, quam in Editis hodiernis. Fol. 55. p. 2. orditur S. *Marcus* eadem ratione ab Actis suis splendide depictis ea solum differentia, quod Insigne *Austriae* locum prae *Styriaco* tenet. Fol. seq. folam I literam admireris, primam videlicet textus et vocis *Initium*. Solum in hoc *Evangelio* Caput IX. aliter ac in Editis ab VIII. dividitur. Fol. 91. p. 2. visuntur in totidem loculis Acta S. *Lucae*, Insigni *Austriae* rursus angulum dextrum superiorem tenente. Fol. sequens speciosissima litera F occupatur addita tamen in limbo continuatione: *Uit in diebus herodis regis iudee*. Igitur deest *Προλεγόμενον* illud ad Theophilum: *Quoniam quidem multi &c.* Capitum initia cum Editis conspirant. Fol. demum 148. p. 2. depinguntur Acta S. *Johannis*, Insignibus, ut in *Luca* dispositis, et Fol. sequens sola litera I superbit, pag. altera inchoante: *N principio erat uerbum &c.* In solo Capite XVII. divisionis differentia. Ad calcem lineis aureis et caeruleis alternantibus haec clausula: *Et ego Johannes de Oppauia, presbiter. Canonicus Brunnensis Plebanus in Lantskrona. hunc Librum. Cum auro purissimo de penna. Scripsi. Illuminaui. Atque deo cooperante compieui. In anno domini. Millesimo. Trecentesimo. Sexagesimo. VIII^o.* En Canonicum *χαλκεντερον και αδαμαντινον*, qui sacrae, quaungebatur, animarum curae laborem ejusmodi adjunxit, qui solus videri queat, integrum hominis aevum deposcere. Adjecta est

Icon *Christi* judicis insidentis iridi, adstante infra Matre et Nutritio. Ut porro aliquod lectionis specimen proferam, *Joh. c. I.* habetur: *quem dixi vobis, pro quem dixi; Per ihesum facta est, pro per Jesum Christum; nisi unigenitus filius, pro unigenitus filius; Peccata mundi, pro peccatum; Manifestaretur in Israel, pro manifestetur; Filius iobanna, pro Jona; unde Textum satis castigatum esse liquet. Seculo sequente Codex ad Fridericum III. Imp. devenit. Video enim fol. 1. p. 2. ejus Symbolum A. E. I. O. V. cum anno 1444. Atque is pro merito theca eum decumana argento inaurato squalenti biennio post vestivit, nam in ejus anfulis et Symbolum mox dictum, et annus 1446. insculptus cernitur.*

LIII. VIII E. 2.
VII

Codex membraneus lat. Sec. 351
XIII. Folior. 56. f. columna angusta, ut margines. Notis patere, pereleganter scriptus, literisque initiorum picturatis venustus exhibet *Evangelium D. Marci*, Glossis marginum instructum et interlinearibus, unde et linearum luculenta distantia. Praeit *Marci* Vita in *Bibliis glossat. Lugd. T. V. fol. 88: 1545.* tributa *Hieronymo*, quae incipit: *Marcus euangelista dei et petri in baptisate filius*, et non uno loco correctior est editis. Textus ipse hinc inde a Vulgato variat. Ita C. I. legitur *omnis regio galileæ pro omnis Judaeae regio. Veniet fortior pro venit.*

123

CODICES

124

venit. Spiritum sanctum tamq. columb. pro spiritum tamq. columb. Appropinquabit regnum dei pro appropinquavit. Scio quod sis sanctus dei pro qui sis. In synagogis eorum in omni galilea pro et in omni Galilaea. &c. Glossae Marginum ex Hieronymo et Beda depromptae sunt potissimum, quaedam, uti et interlineares, eadem sunt, quae in Bibliis glossatis supracit. ut adeo mirari fubeat Cl. Lambecium, qui L. II. p. 749. edit. Kollar. col. 526. eas omnes absque discrimine antiquas anonymi cujusdam Autoris Annotationes lectu dignissimas adpellat. Neque illud verius, quod eod. l. affirmat, Scripturam hujus Codicis fere eandem esse, quae cernitur in Epistolis S. Pauli Mariani Scoti propria manu exaratis, et Cod. LVIII. indicatis.

LIV.

395 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 127. 4. continet Evangelium secundum Lucam caractere luculento exaratum in medio, latus utrinque stipante Glossa Ordinaria minutius scripta, cui inter lineas Textus accedit et altera ab situ vulgo interlinearis adpellata. Praeit, ut in Bibliis Glossatis solet, Hieronymi Prologus, qui incipit: Lucas frus antiochenus arte medicus discipulus apostolorum &c. Evangelii Capita, quae sine Versuum distinctione decurrunt, indiligenter in margine adnotata sunt.

Codici praetexta est membrana idiomate germanico, qua Abbas Chunradus et Conventus ad S. Crucem in Austria infer. vendunt Chunrado Dietrici filio ejusque uxori Catharinae duas vineas in Pfaffsteten, quarum una dicta daz Smaizzl, altera der Hekinger. Der brif ist Geben noch Christus gepurd dreuczechen Hundert iar darnach in dem ains vnd sumfczigisten iar dez Ersten Sonntags in den vier Tagen. Itaque Dom. I. Quadrag. aut, si Ecclesiam sequere, Dom. III. Adv.

LV. VI. H. 2.

Codex chartaceus lat. Sec. 640 XV. Folior. 19. 4. continet IV. Passiones Evangelistarum Matthaei, Marci, Lucae et Johannis. Initium: Passio domini nostri ihesu cristi secundum matheum. In illo tempore dixit ihesus discipulis suis. Scitis quia post biduum &c. Inscriptio Johannis: Passio sine salutatione secundum Johannem, innuit, dum haec Passio feria VI. in Parasceve legitur, ad id, quod in tono Evangelii legendum est, non peti Benedictionem, non deferri Luminaria, neque Incensum &c. ut est in Rituali, secus ac diebus praecedentibus, quibus aliae Passiones leguntur.

LVI. VII. F. X.

Codex chartaceus lat. Sec. 457 XV. Folior. 150. 4. currente calamo scriptus continet Epistolas Pauli, Petri, Johannis, Judae et Ju-